...thus P. et M. D.
...: Redivivus Aesculapius
M. Hyacinthus Łopacki.

REDIVIVVS ÆSCVLAPIVS
M. HYACINTHVS
ŁOPACKI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Vrbis inclytæ Crac: Conſul in Almâ Vniuerſitate Crac: inter DD. Medicinæ Doctores Cooptatus.

SVB

Felicibus Auſpicijs

Magnifici Clariſsimi & Excellentiſsimi Domini,

D. M. FRANCISCI
ROLINSKI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris ac Profeſſoris, Florentiſſimæ Academiæ Crac: Generalis RECTORIS Vigilantiſſimi, Conſulis Crac: Meritiſſimi.

PER

M. IOANNEM MACHATAR de Wiſchouiâ Morauum in eadem Academia Proffeſs. Coll. Min.

In Lectorio

DD. Theolog. Lucis publicæ Theatro

PRÆSENTATVS.

Anno ab Incarnato Chriſto 1658. die 4. *Menſe* Junio. ~~Maio~~

Crac: Apud Viduam Lucæ Kupiſz, S. R. M. Typ.

AD
NOBILEMAC SPECTABILEM

Inclytæ Vrbis Cracou. Proconsulem.

ET

NOBILES AC SPECTABILES,

Eruditione Virtutum Nobilitate.

Præclara & eximia rerum prudentia Clarissimos Consules, totumq; Magistratum Cracouien.

Spectabilem D. CHRISTOPHORVM KRAVS. Proconsul.
Spectab. D. ANDREAM WEGRZYNOWICZ.
Excellent. & Spect. D. GABRIELEM OCHOCKI M. D.
Excellent. & Spect. D. STANISLAVM SPINEK I. V. D.
Spect. D. IACOBVM CELESTA
Spect. D. MARTINVM PACZOSZKA.
Spect. D. FRANCISCVM CYRVS.
Excellent. & Spect. D. FRANCISCVM ROLINSKI, M. D.
Generosum & Spect. D. HIERONYMVM PINOCI, S. R. M. S.
Spect. D. GEORGIVM PIPAN,
Spect. D. SEBASTIANVM ZACHERLA,
Spect. D. ANDREAM CIENIOWICZ,
Spect. D. PAVLVM FRYZNEKIER,
Excellent. & Spect. D. MICHAELEM BECHEM, M. D.
Spect. D. PETRVM GOLECZKI,
Spect. D. GERHARDVM PRIAMI,
Spect. D. GASPARVM CELESTA,
Excellent. & Spect. D. HYACINTHVM LOPACKI, M. D.
Spect. D. MARTINVM LOCHMAN.
Excellent. & Spect. D. ALBERTVM SLESZKOWSKI, M. D.
Spect. D. FRANCISKVM KORTYNI,
Spect. D. IOANNEM ROZYC,
Spect. D. ALBERTVM SZTAMENT,
Spect. D. FRANCISCVM LVPI.

PROTHYMIA.

PRæclarus hic ille antiquæ in medendo ſtoa Æſculapius celebri dignitatis nouæ renaſcens acceſſioni, ſublimes ac pridem meritos hodie aſſecutus faſces; non potuit non tuo Senatus Ampliſſime oboriri conſpectui. Hoc ita à Conditore rerum DEO Bono naturæ prouiſum hoc inſitum prouidè ac datum eſt, quod hæc in ancipiti temporum viciſſitudine, tàm turbulentæ quàm fortunæ ridentis particeps ambiat commercium, atque inter exigentiæ cancellos communia Amicorum omnia contineri cupiat & velit. Nec hoc in vſu abſre id pulchrè inter vos Viri Conſultiſſimi illuxiſſe videmus; quidquid enim in hâc inclytâ Regni Florentis Principe Vrbe inclareſcentium prærogatiuarum tàm ob virtutum præclarè geſtâ quàm ob res circumſpectâ prudentiæ dexteritate adminiſtratas, Excelſi Senatus magno decori affulget, id totum in omni dignum honore Æſculapium veſtrum deriuari quis ibit inficias? quod necà diametro ſublimioris faſtigij aliquid illuceſcere lucis aduertitur ni hoc illud vniuerſæ Curiæ veſtræ ampliſſimo ſit ornamento. Et ſanè ſi in illo verſatili alti ſyderis amphytheatro, à Sole aſtrorum Principe, communi irradiantium luminum participatione, cætera luminaria ſit, omninò illuceſcant; non potuit nec debuit, eximiâ in Iagelloniano Hemiſphærio altioris gradus, ac honorum amplitudine irradiatus nouæ ſplendoris vſurpatione Æſculapius à vobis diuelli. Meminiſtis haud dubiè (auo omni deplorandæ) calamitatis illius communis.

Dum ſatis afflictis miſerunt Numina terris
Inde trucem belli rabiem, Martiſq; procellas
Peſtiferam hinc cladem, famis eſuriemq; proteruam.

Cuius tàm ærumnoſæ penuriæ, tàm calamitoſæ tempeſtati ſubiecti & hoc in naufragio infelici tametſi ipſi conſolandi fuiſſetis conſolari tamen hac in acerbâ malorum mephyti conſtitutos Orphanos ſemetipſos, & Amicos minimè deſtitiſtis. Impetuoſæ Suecorum diurnis ac nocturnis

iisq; continuis assultibus, circà & in Vrbem inclytam attentatæ obsidioni alacri defensionis studio, Virium animiq; obstinatâ promptitudine, accurrentis ad tuenda Plebiscitæ mœnia comi adhortatu per vos itum est, non minùs fideliter quàm prudenter. Non vos segnes ad luctæ ignitorum dolonum volatus præ impediendos, ad facularum sulphur & picem efflantium turribus & nociuos larium pergamis sedandas collisiones nox vel dies, otium aut metus, hora vel momentum retardauit. Ad quòd periculum vel discrimen Ciuium salus euocabatur, nil de vigili operâ, nil de præsentia neglexistis, non fatorum è balistâ emisso iaculo, Vestrûm audacia, non insultu impugnantium constantia, non egestatis inopia, nec victitandi exitio fides debilitari valuit: Turpe putastis instabili sortis aduersæ frangi impetu, Dulce autem morti pro Aris & focis succumbere. Fecistis & eò præclarius? quod nihil penitus seduli studij ac præsidij ex defensione remiseritis, priusquàm vel inuitus hostis deditionis veniam erogaret, vobiscumq; potiùs ille, quàm vos cum eo fidei iuramento obstrictus, expostulatum libertatis ac securum fœdus feriret. Et cum in potestate hostium enasci periurium, dolũ prædominari nihil sit detestabilius vbi ex conflato Impostorũ maleuolæ sectæ odio, hostiles incensi animi, nihil sibi vtilius euenire iudicarent, quàm vt depopulationi fœdifragas adiungerent dextras, per fas ac ne fas rapinis, Ciues & domos exinanire, fana spoliari permitteretur, non magis de Vestro, quàm de communi omnium conseruando peculio solliciti, multum desudastis. Creuit grauis illa & perniciosa inter populum, quotidiani tributi per insatiabilem Sueuicæ auaritiæ ingluuiem exactio, inuisa oppressio, ex leui plebis anxiæ ob rerum statum afflictum conquestu, seria Animiaduersio, Carceris mulcta, & bonorum amissio? sed & in his vos pro virili, pro fortunæ benignitate, quâ potuistis naturæ bonitate, præsidiarij extitistis obsides & Patroni: Probibitus extra domus limen exitus, prohibitum in Ecclesijs Orthodoxæ fidei Catholicæ exercitium, destinata non modò Clero ab Vrbe sed & alijs in exilium expulsio, magno erant vobis mœrori à quibus quâ priuatim, quâ publicè dum toties ac toties consultum esset, nec vlla Acheronteum Hostium cor clementiâ flecti posset; id solùm cessit consolationi, quod Vestrum ardenti per extrema interpositæ authoritatis instantia, ad placandum supinis precibus Maiestatis Diuinæ irritatum Numen singulis

nobis

nobis vnam in Vrbe vniuersâ sacram domum, DEI *paræ Virgini in Vrbis Circulo dicatam, indultum fuerit adire, Missæ sacrificijs, & administrationi Sacramentorum ac vacare Concioni. Cui, ne pestis & flamma Arianornm, virus pestiferum Caluini & Lutheri serperet & glisceret ardentius Animarum emolumento, fidei propagationi proficuè prouidistis, ac tanto in periclitantium Ouium naufragio, muneri sacro munificè adsciuistis, omni scientiarum ac doctrinæ genere eximium Clarissimum Excellentem & Adm. Rdm. D.* NICOLAVM SVLIKOWSKI *S. Floriani Canon. in Academ. Crac. Sacræ Theologiæ sententiarum Professorem, uitâ & moribus integrum, doctrinâ & Eloquentiâ non vulgari & contemnendâ conspicuum, qui tàm arduo functus officio pietatis exemplo, fidei Catholicæ perutili documento, ardenti in eandem fidem zelo, scriptis & ore, sacræ paginæ mystica eruditione ac expositione, Hæresiarcharum caligines dissipabat, & ad saniorem salutis frugem reducebat, blasphemias in* DEVM, *in Ecclesiam* DEI, *in Deiparam Virginem & omnes cœlorum incolas blasphemo & incestuoso ore euomebant, sua Eloquentia sacra, & Sanctorum Patrum, Consiliorum Doctorumq; Ecclesiæ authoritate refutabat; ac S.* PETRI *Principatum, summi Pontificis, & omnium Ordinum Ecclesiasticorum cum periculo vitæ suæ defendebat Maiestatem. Hanc proinde in Viros Academicos, atq; in ipsam Academiam suis indifficultatibus egregiè beneficam à vobis Viri Consultiss. præstitam operam, & animi singularem propensionem æquùm erat; vel ex hoc in Vestrum Æsculapium Celsi honoris irradiante ab Almâ Matre Academiâ splendore, communis ornamenti non nihil pro vice in vicem contestari, ac cognitæ gratitudinis remetiri portione. Suscipiatis beneuoli vos Viri Conspicui, & Vestro in Consortio diu serenantem Æsculapium Vestrum, vestramq; Academiam quâ cæpistis propensione, amore & defensione tueamini.*

Vestrarum Clarissimarum & Spectabilium Dominationum

ad obsequia & in obsequijs seruus obligatissimus

IOANNES MACHATAR.

AD

AD RECENS COOPTATVM
Inter DD. Medicinæ Doctores
Clarissimum Dominum HYACINTHVM LOPACKI,
Ode, Tricol: Tetrastr:

COnſcende proſper pulpita Dogmatum,
Pridem vſitatis fultus adoreis
Prodi, reluctantiſq; ſcenæ
Æqua tuis cape Xiſta geſtis.
Sat iam profundi experta ſilentij
Ad ima fontis lapſa Platonici
Mens docta: dos & vis tuorum
Vertitur in pretium laborum.
Pulchrùm eſt corymbo ornarier extero,
Lauru coronari; aſt Academijs
Condignius nil in palæſtris
Cenſor honoris inaudit orbis.
Gaudent Galeno pergama Gentium,
It fama Coi per iuga gloriæ,
Eſt & IAGELLONÆ nec vnus
Heûrnius, Hippocratesq; laudi.
Sunt illa circi numina Cnidy,
Illi Melampi, Razis & Æmuli,
Quos inter; Eudemi ſerenat
Altera fax & honos LOPACKI.
Craci ille muſis Poeonio Nepos
Dilectus vſu; quem clarijs labris
Apollo dignatus, repertor
Mellifluæ docuitquè Suadæ
Venuſtiori ducere ſpiritu
Facunda Cottæ flumina, largius
Cordiquè Carboniſq; iuxta ac
Eloquio grauiore Craſſi.
Inter Cleanthis claſſica iurgij
Stagira quem fertur ſtupuiſſe, vbi

In cor-

In Gordios nodos, *sub* actis
Mentibus imperiosus iret.
Multorum ad ingens inuidiæ decus.
Nec eruditi sat ratus oty,
Quo profuturus flagrat ire
Ardor; opes Latiæ Mineruæ
Amplexus, amplis Abderitæ choris
Post obstinatâ mente per arduos,
Colles viæ se adjunxit Hospes,
Eximijs generosus ausis.
Nouis Lycæis appulit, huc: vbi
Antenor arcus præpete spiculo
Ithys volantis fregit ausum,
Nomen ab hinc dedit Author vrbi;
Honoris & famæ Emporium capax
Litauit Acronti: hic vbi Minty
Nebræa Paduensis per arua
Hesperiæ spatiantur amnes,
Lentè per arctas vrbis & orbitas.
Vbi Lycani Lauriferas viri
Errant per vmbras: venustas
Mentis opes, operumq; nisus
Solantur; illæ illæ medicâ graues
Sostratianæ merce scientiæ,
Curisquè, subiectæquè circis,
Experimenta animæ capessunt.
Rectà Æsculapi pronus in arduas
Surgebat artes, pulchra cohortium
Inter docentûm quem theatra
Clarat ad vsq; labor decusquè,
Quem dùm Dioclæo reducem nouæ
Vidit Deuxippi è puluere gloriæ
Et Cracus, & Recti atquè Honesti
Arbitra Mater, amorq; Phœbi,

Rege

Regale vatum celſi ACADEMIA
Sedile Parnaſſi, auxit adoreis:
Laudum eſſedo maiore in altùm
Inquè dies it aditq; honores,
Felix LOPACKI? quem Themis artium
Præfecit æquis lancibus Arbitrum
Inter Senatorum curules
Craciadum, patriumq; roſtrum.
Decreta fato, quæ modo contigit
Merces labori, ſæcula ſæculis
Metietur, Tu ſed lucroſæ
Laurus honor, memor Eſto laurus.
Troiæ occidenti profuit indoles
Machaonum: non vnus in Hoſtium
Aſſultibus ſenſit pericli
Dulce tuo genio leuamen.
Dum faſtuoſo Suecus anhelitu
Bacchatur in Clerum, Aonidum choros
Multum inſolens vult exulare
Pernitiemquè minatur Vrbi,
Mali imminentis dexter ab impetu,
Perſuaſionis vela fauonio
Portum ad ſecundum vindicaſti,
Viribus ac Rationum acutis.
Non pænitendis empte laboribus
Paterna Coo quem toga doctior,
Vitâ Æſculapî, ſerum Achillem
Inſerit inde tholis cupreſſi.
Extra anguinatæ ludibrium Deæ
Viuat tuarum mole perennius
Quæſita virtutum per artes
Gloria, Gnoſidicoſq; faſtos.

VNI ET TRINO
LAVS
ET GLORIA DEO.